


communicandisque solertissimis curationibus
indefesso studio pergas, quo toti Reip. huma-
noq; generi maiorem in modum commodes,
eternique nominis inde claritatem meritissi-
mam consequaris. Deus commodo bonoque
communi quam diutissime saluum te seruet &
incolumem. Vale nobilis Machaon amice per-
petue, Freiburg. Heluet. 10. Iulij 1608.



OBSERVATIO XCIX.

*Ex strictioribus arctioribusque infantulo-
rum inuolucris, gibbo-
sitas.*

NB Schneckium

lib. 2. obs. 59.

IN quibusdam Regionibus & familiis moris
est, ut infantulos statim à partu inuoluendo
(nescio quibus de causis) fasciis arctè nimis
stringant. Vnde sæpius euenit, ut eorum cor-
pora & artus gibbis, aliisque deformitatibus
genuum ac tibiarum &c. protuberent. Quin au-
tem ob strictiorem inuolutionem id accidat, non
est, quod quisquam dubitet: siquidem ossa ad-
huc tenera, mollia & cartilaginosa facile retor-
quentur, extraque sedem naturalem reprimū-
tur, quæ dein paulatim excrescentia indure-
scunt, id quod ego in multis obseruavi. Hanc
etiam ob causam solent infantorum capita
(magno ipsorum damno) in longitudinem ex-
crescere, atque sic sphæricam figuram amitte-
re, idque semper in potentiali cauterio, seu fon-

NP
multorum ad.
obstrictum.
nostarum p.
minus jam sup.
sphærica in
coarctatis
infantum cor.
fractis.